



navis: quamvis specialia pericula sint innumerabilia; quae sunt aut ratione propriae dispositionis, aut ratione malae societatis, aut ratione defectus cibi et potus, aut ratione malorum gubernatorum, aut ratione nimii caloris aut frigoris, aut malae provisionis, et hujusmodi, de quibus non sufficiunt verba ut possint dici. Idcirco de generalibus periculis parum dicam, sed singularia patebunt in processu navigationis, et supra in prima peregrinatione mea aliquantulum patuerunt.

Contingit primo periclitari ratione maris navigantes. Nam si mare fuerit scopulosum, undique saxis et rupibus impeditum, non sine periculo pertransitur, sicut est in Cycladum insulis, et in mari Achaico, et in mari juxta Illyricum, et Dalmatiam: in quibus locis noctibus non potest fieri navigatio propter rupes, cautes et scopulos. Hoc periculum timebant nautae, qui transducebant sanctum Paulum, ut habetur Actorum 27. v. 29. Sed et ego ipse in hoc periculo saepe fui constitutus. Aut si mare fundum habet inaequalem, nunc cumulis arenosis elevatum, nunc vero ad modum voraginis depressum, aut certe profundis vallibus et foveis distortum. In talibus locis male naves transeunt, licet enim mare undique videatur aequale, propter quod mare non nunquam aequor dicitur; tamen quando navis venit ad loca, in quibus fundus inaequalis est, subsistit, et si non est ventus impellens, difficulter potest removeri (**B**) a loco: hoc experientia didici, ut patet fol. 13. Secundo accidit periculum ratione aëris. Modico enim flatu venti redditur mare inquietum, tempestuosum, procellosum, fervidum et tumultuosum, ab hoc mare fretum saepe nominatur. Nam tempore tempestuoso, nebuloso, pluvioso et obscuro mari se committere est periculosum; potissime quando navis fertur in periculum et ipsum periculum videtur. Ventorum autem nimietas maxime formidatur signanter, quando venti contrarii subito et cum impetu oriuntur; tunc naufragium timetur, et hoc periculum commune est, saepiusque in eo fui. Tertio adducit periculum navis deferentis debilitas et insufficientia: non enim tutum est se committere naviculae nimis parvae sive fragili aut constractae, aut vetustae, quia talis non est segura inter saevientes procellas; quoniam vel propter parvitatem suam fluctibus opprimitur, et subvertitur, aut propter

130

128

134

124

139

119

179

079

229

029

Ende

Anfang